



17  
14  
2  
1.  
3.  
9.  
17  
1.  
2  
3.



*Pa. H. 30.*  
B. C. D. *Pub. 10. num. 18.* 3.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS 7  
JURIDICA, 1724 2.  
DE REVOCATIONE  
PRIVILEGIORUM,

QVAM

Ex Decreto Illustris & Magnifici  
Jctorum Ordinis

*P. 123.*  
SOLO DEO PRAESIDE  
PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure honores &  
Privilegia Doctoralia ritè capessendi*

*Ad diem 6. Mart. 1724.*

SOLEMNI Censuræ submittet

JOH. FRANC. ANTON. LENTZ,  
Mößkirchensf. Sjev. Auth.

ARGENTORATI,  
Literis Viduæ JOSIÆ STÄDELLI, Univerf. Typogr.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVITALLIS

*SERENISSIMO PRINCIPI*  
AC DOMINO,  
DNO. FROBENIO  
FERDINANDO  
S. R. I. PRINCIPI  
FÜRSTEMBERG,  
LANDGRAVIO BAARÆ  
ET STUHLINGÆ, COMITI SA-  
CRIMONTII ET WERTTEN-  
BERGÆ, BARONI IN GUNDELFINGEN,  
DOMINO IN HAUSSEN VALLIS KINZIN-  
GANÆ, MOESKIRCHII, WIESENSTEIGII,  
JUNGENAVIÆ, TROCHTELFINGÆ ET  
WEYTRAVII &c. &c.  
AUREI VELLERIS EQVITI, SACRÆ  
CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
ACTUALI INTIMO  
*DOMINO ET PRINCIPI SUO*  
*CLEMENTISSIMO*  
IMMORTALEM FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE  
CLEMENTISSIME!

**A** Udaci huic & confusa tam inscriptioni, quam scri-  
ptioni ne succenseas, sed ut potius suavissimam  
Favoris, quem ineffabilem haecenus expertus  
sum, auram impertiaris, facile poteris exora-  
ri. Nam cum PRINCEPS SAPIENTISSIME!  
omnes excelsi animi TUI Virtutes ad divinitatem conspi-  
rent, quibus nil sanctius, nil aequius, nil venerabilius esse  
potest, non jam hunc meum conatum inconsultae temeri-  
tati, sed devotissimae in sacratissimam Personam Tuam  
pietati justissime adscribes. Equidem illud mihi objur-  
gari posse lubens agnosco, quod indecorum maxime sit, scho-  
lastico labori Protectorem querere Principem, quem Sa-  
cra Caesarea Majestas supremis in Imperio muneribus admo-  
nit,

):( 2

vit, ad cuius Oracula Augustissimum Iustitiæ Germanicæ Tribunal obstupuit, quem jam Seculum tum præsens tum futurum æternitati consecravit; Verum sicuti splendidissima cœlestis Oculi virtus vilissimos, tenuissimosque vapores resolvere & in altum adducere non dedignatur, sed eosdem divino suo spiritu impletos rursus dimittit, & ad terræ sibi subjectæ felicitatem efformat; ita nullus dubito, quin Divina SERENITATIS TUÆ Bonitas, ut magnificentissima Solis imago, vilissimum licet, pietate tamen & obsequio ferventem animum propius sit aspectura, eundemque, dum nil, nisi quod in fidelitate summum est, spirat, à principali solio suo latissimum sit dimissura. Vive diu, SERENISSIME PRINCEPS! quem Seculi splendorem, Delicias Imperii, SERENISSIMI NATI Speculum, & EMINENTISSIMÆ GENTIS FURSTEMBERGICÆ præsidium, solatiumque subditorum omnes omni Jure appellamus. Vive denique in meam, si velis, sempiternam felicitatem. His votis, his precibus se prostermit

## SERENITATIS TUÆ

SUBDITORUM ET SERVORUM  
HUMILLIMUS, FIDELISSIMUS ET  
OBEDIENTISSIMUS,  
JOH. FRANC. ANTON. LENTZ, Mößkirchens.



# DE REVOCATIONE PRIVILEGIORVM,

§. I.



Vemadmodum olim Lex  
Regia Principis autho-  
ritatem fundavit; Ita  
suo modo Capitulationes & alia Leges fundam-  
mentales potestatem Imperatoris aut  
Regum

*Origo  
Constitu-  
tionum.*

A

Regum hodiernorum efformant, qui in Constitutionibus Imperii aut Regni sui promulgandis supremas Partes habent.

§. II.

*Quotuplices sint?* Sunt autem Constitutiones vel *generales*, quæ omnes subditos Imperii, Regni, vel Provinciae obligant; vel *speciales*, quæ alicujus personæ singularis obligationem, favorem vel odium concernunt. Prioris generis LL. *Constitutiones Universales.* universales dicuntur, quas Imperator in J. R. G. solus quidem fert, sed adhibito Statuum consensu. Conf. Capit. Imper. §. wir sollen / und wollen auch sonderlich & Reichs-Abscheid zu Worms. de Ao. 1495. in pr. & Carpz. de Leg. reg. cap. 3. sect. 1. Ad posterius,



rius vero genus refertur, *Privilegium* <sup>Particu-  
lares in  
Specie.</sup>  
quod est Jus contra, seu præter gene-  
ralis Juris tenorem in favorem vel odi-  
um alicujus Personæ æquitatis gratia in-  
troducitur.

§ III.

In hujus concessione Imperator <sup>Forma  
Privileg.  
& Effec-  
tus.</sup>  
Electorum & Imperii Statuum consen-  
sum tunc saltem adhibere debet, si pri-  
vilegium in Statuum Imperii aut supe-  
rioritatis territorialis præjudicium ver-  
gat. *Dn. Berger. in dissertat. Jur. select.  
pag. 1202. idque propter juratam pro-  
missionem in capit. Imper. Leopoldi,  
art. 3. in verbis, wir wollen niemanden  
einig privilegium. &c.* Hinc Privi-  
legia ab Imperatore concessa contra  
A 2 privi-

privilegia Statuum, in ipsorum territo-  
riis nihil operantur. *Struv. Syntag. Jur.  
publ. dissert. 12. §. 1.*

§ IV.

Extra vero hunc casum Impe-  
ratorem indistincte sine Statuum Im-  
perii consensu privilegia universalia con-  
cedere posse, satis manifestum est; tum  
quod nulla Imperii lege prohibitum re-  
periatur, ne aliter, quam Statuum Im-  
perii consensu Imperator privilegia  
concedat; tum quod hanc potestatem  
non obscure insinuet *Capit. Josephi. art.  
44. ibi. über die Kayserliche Concessi-  
ones der Privilegien re. Schweder in-  
troduc. in Jus publ. Part. Spec. sect. 1.  
cap. 10. n. 4.* Et licet ad legum uni-  
verſa-

versalium lationem consensus Statuum  
 Imp. requiratur; nunquam tamen cir-  
 ca privilegia impertienda idem statu-  
 tum esse constat; sicque nihil obstat,  
 quominus hodiernum Imperator eodem  
 Jure, quo olim Imperatores gavisi, fruatur.  
*Eques de Hein in prompt. Jur. Can. Feud. § 12. privilegium n. 9.* adeo qui-  
 dem, ut Jus hoc concedendi privilegia  
 universalia, quorum effectus sese ex-  
 tendat per univfersum Imperium, ipsi  
 soli tanquam capiti Imperii *Struv. L. cit.*  
 singulis verò Statibus, quoniam Leges  
 Provinciales in suis territoriis vi supe-  
 rioritatis territorialis *Krafft Landts-  
 Fürstlicher / oder hohen Landts-Obrig-  
 keit /* ferre possunt, *Lauterb. comp. Jur. de constitut. princ.* ita competat, ut ef-  
 fectum saltem habeant per concedentis  
 territorium, modo non vergant in per-

D  
E



niciem Reipublicæ ; *Siruv. Syntagm. Jur. Publ. dissert. 26. p. 58.* nam si bonum publicum impediunt, comitali autoritate per legem pragmaticam cassari posse testatur exemplum **in der Müng Ordnung Ferdinandi I. insert. R. J. de Ao. 1559. p. wo aber jemandts / wessen Standts 179.**

§. V.

Quis possit privilegia concedere!

Ex hæcenus adductis jam facile concludere licet, privilegium ab eo solum posse concedi, qui legem tulit, quia qui solus est Dominus legis, is obligationem ejus liberè condonare potest ; Hinc Civitatibus mediatis potestas hæc denegatur, quoniam regulariter leges seu statuta condere nequeunt

per

per *L. fin. C. de LL.* Imo nec Electores, Principes & Status Imperii contra universalem Imperii Legem privilegium dare possunt; Summæ enim Potestatis, quæ in Imperatore & Imperio residet, Leges ferre proprium est.

§. VI.

Quod si tamen summa potestas <sup>An Civitatis</sup> semel eam auctoritatem alicui Civitati communicaverit; juxta Legis concessionem eam uti, etiam sine approbatione Principis speciali potest; *L. 2. & 3. C. de LL.* per consequens etiam privilegia concedere. Neque insurgas hic, Jus Majestatis esse individuum, nec à Superiore inferioribus communicari posse, adeoque non nisi soli Principi privilegiorum

DE



giorum concessionem competere. Nam respondetur, quamvis Majestas simul sumpta cum omnibus suis partibus unum quid constituat, videlicet totum potentiale indivisum, ut vocant, quod habet ordinationes ad plures operationes, quæ ab ipso emanant, nil tamen prohibet, quo minus partes in hoc toto unitæ secerni & divisim inter plures distribui possunt. Sic si Princeps subdito potestatem Bellum gerendi, aut in territorio sibi commisso Leges ferendi, & centum alia ad auctoritatem Summæ Majestatis referenda concedat, Majestas nihilominus penes solum Superiorem remanet. Et licet ejusmodi privilegia, utpote Majora in effectu cum regalibus concurrant, Regalia tamen propriè dici nequeunt; quia e. g. Civitas Municipalis auctoritatem illam, licet speciem

Juris

Juris Regalis aut Majestatis præ se ferat,  
 non ut regale, sed ut privilegium, non  
 ut Jus Magistratui suo cohærens, sed  
 titulo adventitio singulari, puta ex  
 emto, donato, pacto, præscriptione ac-  
 quisitum exercet. Hinc, quemadmo-  
 dum is, qui mandatam Jurisdictionem  
 exercet, proprium nil habet, sed ejus,  
 qui mandavit, Jurisdictione utitur *L. 1.*  
*§. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata est*  
*Juris.* ita & Civitas Municipalis, quæ  
 partem Majestatis privilegia conceden-  
 do exercet, cum id ipsum ex vi com-  
 mendatæ potestatis, vel adscitio Jure  
 agat, Superioris Majestatem non discer-  
 pit; quicquid enim per interpositam  
 personam agitur, nihilominus à Prin-  
 cipe descendit; cujus rei simile argu-  
 mentum habemus, *in L. 6. §. 1. ff.*  
*quod cujuscunque Univerf. nom.*

B

§. VII.

§. VII.

*Subjectū  
Privile-  
gii, unde  
aliud  
Reale.*

Privilegii subjectum sunt & Res, & personæ; unde divisio Privilegii in *Reale & Personale* descendit. *Illud est*, quod rei, vel causæ conceditur, eidemque immediatè cohæret (etsi in favorem personarum concessum) & tamdiu durat, quamdiu res, cujus respectu datum est; & ad quosvis successores transit *L. 68. §. L 196. ff. de R. J.*

*Persona  
de.*

*Hoc*, quod certæ alicui personæ, licet non subditæ conceditur, illique immediate cohæret, nec illam egreditur, quamvis illius commodum quandoque ex speciali Juris dispositione ad alias personas extendatur. *L. 2. §. f. C. de Episc. & Cler.* Sed cum persona extinguitur. *L. 68. §. 196. ff. de R. J.*

§. VIII.



§. VIII.

Non autem cum privilegio in specie  
 sic dicto confundendum est *Jus singulare* Differen-  
 tia Prin-  
 vilegi à  
 iure sin-  
 gulari.  
 quod est privilegiū integro alicui ordini  
 v. g. Minoribus, Fœminis, Filiis familias  
 &c. vel causæ ab ipsis Legibus concessum.  
 Hinc ex ipsa definitione patet differentia  
 inter Privilegium personale & Jus singu-  
 lare; cui hanc præcipuè addendam esse  
 existimo, quod illud aliquando  
 hoc vero regulariter ad heredes transeat.  
 Cui accedit, quod Privilegium in specie  
 sic dictum à Principe impetrari debeat,  
 & extra jus commune positum sit, Jus  
 singulare vero juri communi sit inclu-  
 sum. Nec omittenda est alia differen-  
 tia, quod Privilegium in specie tale re-  
 spectum habeat ad merita. Jus  
 vero singulare non item.

B 2

IX.

D  
 M



§. IX

*Modi ac-  
quirendi  
Privileg.*
 Acquiritur autem privilegium  
 vel ex *liberalitate*; vel ex *conventionione*  
 Principis, primum rursus vel sine re-  
 spectu ad merita vel obligatione in quâ  
 Republica suo modo devincitur, vel  
 habita servitiorum & meritorum con-  
 sideratione; Illud in specie *gratiosum*  
 dicitur, hoc remuneratorium audit. Se-  
 cundum, quod descendit ex interve-  
 niente pacto vel conventionione, puta ob  
 aliquod factum, vel dationem præsen-  
 tem vel futuram, impletam aut implem-  
 dam; *onerosum* seu conventionale, ab  
 aliquibus etiam barbaro vocabulo *fac-  
tionatum* vel *titulatum* nuncupatur.

§. X.

*Finis.*
 Finis Privilegii est vel merita com-  
 pensare, vel crescentibus delictis ex-  
 asperare poenam. Hinc Privilegium  
 tan-

tandem dividitur in *favorabile*, quod fa<sup>alia di-</sup>  
vorem alicujus personæ, & *odiosum*,<sup>visio pri-</sup>  
quod speciale odium ejusdem concernit.<sup>villeg.</sup>

§. XI.

Effectus Privilegii est alius, si fit <sup>Effectus.</sup>  
*præter Legem*, & alius si fit *contra Le-*  
*gem*. Effectus privilegii præter Legem  
est e. g. usus specialis illius favoris, qui tali  
privilegio conceditur e. g. si quis pen-  
sione vel monopolio gaudeat. Effectus  
Privilegii contra Legem est exemptio  
à Lege.

§. XII

Ad adjuncta utriusque privile- <sup>Adjunct.</sup>  
gii pertinet ejus *Duratio*. Utitur autem <sup>privileg.</sup>  
privilegiatus Jure meritoque privilegio  
suo, quamdiu tale manet; manet au-  
tem tale, quamdiu anima privilegii du- <sup>Contra-</sup>  
rat, quæ variis modis præcipue *Revo-* <sup>viumpri-</sup>  
*catione* diem suum obit supremum. De <sup>villeg. Re-</sup>  
<sup>Sociatio.</sup>

B 3

hac

D  
E



hac Exercitii Academici gratia pauca  
subjiciam.

§. XIII.

*Quid sit* Est autem Revocatio nihil aliud,  
quam actus, quo privilegium à Prin-  
cipe concessum justè ab eodem retracta-  
tur. Dico justè. Nam cum Revocatio  
Privilegii injusta, in se nulla sit, etiam  
nullum effectum habebit, per conse-  
quens Revocatio nominari non pote-  
rit.

§. XIV.

*Revoc.* Objectum Revocationis sunt omnia  
*Obj.* Jura specialia, quæ privilegio indulgeri  
vel introduci possunt; Sed cum hæc posi-  
tio variis limitationibus & exceptionibus  
obnoxia sit, ideo Revocationem secun-  
dum duas saltem principaliores privile-  
giorum species, quarum Imperator Ju-  
stinianus mentionem facit in *l. 6. J.*  
*de J. N. G. & C.* hîc examinare mihi a-  
nimus

nimus est; nam si per singulas, quas DD. dare consueverunt, Privilegiorum divisiones, sc. Divinorum, Humanorum, Ecclesiasticorum & Sæcularium, Legalium, Affirmativorum & Negativorum &c. discutienda foret, certe ex dissertatione inaugurali insignis commentarius nasceretur.

§. XV.

Quæritur ergo (1.) an favorabilia <sup>An Favo-  
abilia</sup> privilegia revocari queant? ad quæsti- <sup>privile-  
gia revo-  
cari pos-  
sint?</sup> onem hanc enucleandam distinctio ad- <sup>Distin-  
guitur.</sup> hiberi debet; aut enim Privilegium est <sup>merè favorabile</sup>, seu *gratiosum*, ita ut <sup>Distin-  
guitur.</sup> ex simplici benevolentia Principis profluat; Hoc iterum est acquisitum vel <sup>ad instantiam & preces</sup>, & tunc quo <sup>ad preces  
concessa  
an re-  
vocen-  
tur?</sup> *ad instantiam & preces*, & tunc quoniam tale in naturam Precarii degenerat *L. 2. & 3. ff. de prec. per confes-* <sup>con-</sup> quens nullum Jus transferat, ad libitum

D  
S  
E



concedentis revocari poterit; *Est enim natura æquum te tamdiu liberalitate mea uti, quamdiu ego velim: Et ut possim revocare, cum mutavero voluntatem d. L. 2. ff. eod. & bene placitum nulli subjacet legi. per L. 11. 2. 7.*

*Proprio ff. de legat. 3. Vel Proprio motu* <sup>motu</sup> *concessa* <sup>an</sup> *revocetur?* *ne precibus; puta ex Donatione ac puro motivo exercendæ liberalitatis; in hoc casu, quoniam hic titulus Juris alicujus translativus adest, nec licite nec validè revocari potest, quoniam illa beneficia, quæ Princeps de suo facit, vim habent perfectæ Donationis, nisi adsit precarii clausula. Hugo Grot. Lib. 2. cap. 14. 2. 14. Is vero, qui donat, sic dat, ne recipiat L. 1. 2. ff. de prec. & quod semel placuit displicere amplius non debet. Cap. 21. de R. J. in 6. Eo minùs si traditione vera vel ficta*

facta Dominium aut simile Jus in re  
translatum sit; Enimvero donatio est  
modus acquirendi Juris naturalis, cui  
proinde Princeps, cum hoc Jure non  
sit solutus, contravenire & alteri rem  
quasitam auferre non potest.

§. XVI.

Aut *Favorabile* quidem est, non  
absolute tamen, sed privilegiati incom-  
modum involvat; hoc pro libitu  
concedentis revocari nequit, etsi sub-  
dito datum; quia privilegium tale tran-  
sit in pactum & naturam contractus,  
& in eo idem statui debet, quod in  
contractu. Jam autem contractus ha-  
bent præstationis necessitatem etiam  
in persona Summi Principis; cum enim  
naturæ & Gentium Juri subsit, pactis  
talibus & contractibus non minùs,  
quam privatus obligatur; *L. bene à Ze-*

*An fa-  
vabilia se-  
cundum  
quid. seu  
onerosa  
revoce-*

C

*none*

177



*none C. de quadriennii præscript. ut adeò consequens sit, privilegii revocationem in arbitrio & potestate Principis non residere. Eques de Hein in prompt. Juris Can. Feud. §. privilegium n. 19. quoniam hic non potest aliquem privare Jure suo quæsito, nec Imperialis Majestatis proprium est concessa auferre Nov. 10. §. 1. Hinc, nec privilegia favorabilia onerosa ad objectum revocationis pertinent.*

§. XVII.

Onerosis comparantur (1.) *privilegia Ecclesie vel Pauperibus* eo, quo diximus, modo, data, nam hæc neque per concedentes, (nec per successores) revocari possunt. *Brummens. ad L. 12. C. de SS. Eccles.* nec revocantur (2.) *privilegia fundamentalia Regni*, ac cujlibet Status, qualia sunt illa, quæ Electoribus,



toribus, Principibus, & reliquis Stati-  
bus in Aurea Bulla sunt concessa; uti  
nec (3.) *privilegia in remunerationem*  
*benemeritorum concessa*, quicquid enim  
bene meritis accedit, id solutum magis  
videtur esse, quam præstitum. *Symmach.*

8. Ep. I. (4.) *privilegia cum servitiis*  
*& laboribus acquisita*; quoniam hæc  
onerose potius, quam lucrativæ causæ  
comparantur, & compensationis, non  
vero liberalitatis vicem obtinere cre-  
duntur. *Tiraquel. ad L. si unquam n.*  
14. C. de revocand. donat.

§. XVIII.

Affertionem autem generalem, Limita-  
tio dic-  
torum.  
*Principem non posse aliquem privare Ju-  
re suo quæsito*, limitamus, statuendo,  
posse Jus etiam quæsitum auferri à Prin-  
cipe duplici modo, aut in *pœnam*, aut  
ex vi *supereminentis Domini*; Male me-  
ritus

ritus enim uti amissione bonorum, ita & amissione privilegiorum puniri potest; Revocat ergo Princeps privilegia in se non revocabilia propter scelus & indignitatem privilegiati; Sed & necessitas & utilitas publica sæpe exigit, ut privati Jus lædatur, & ex hujus læsione universale commodum in Rempublicam redundet. Itaque vi eminentis Domini privilegium revocari potest, sed ut id ritè fiat, requiritur (1.) ut sit persona subdita, nam Jus exterorum (hoc est, qui nulla ratione subditi sunt) supereminenti Dominio nullo modo subest; Subditorum autem Jus ei dominio subest quatenus publica utilitas desiderat, hinc (2.) utilitas & necessitas requiritur; cui (3.) requisitum accedit, ut si potest, ad similitudinem legis Rhodiæ de jactu compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi *Grot. II. XIV. 7. hoc*

7. hoc ergo sicut in Jure, quod ex promisso aut contractu quaeritur, ita & in privilegiis conventionalibus locum habet; quod si extra hos casus sine urgente gravi causa Princeps privilegium ab invito revocet, contra naturalem aequitatem peccat. *Grot. l. c. §. 9.* Allegat in hanc rem *Schwederus part. spec. sect. 1. cap. 10. n. 3.* argumentum *L. 1. ff. de offic. proc. Caesar.* sed, quia plane nil probat, Sphalma Typographicum, aut scribae sit, oportet.

§. XIX.

Privilegia Odiosa verò ad obiectum revocationis etiam referenda esse satis demonstrat *Aggratiandi Jus* quod nihil aliud est, quam promeritas poenas tempestive relaxandi, veniamq; illarum concedendi potestas, iis, qui potestatem habent, de morte, Exilio

*An Privilegia odiosa revocari possint? Suff. propter las aggratiandi.*

D  
M



&c. statuendi, competens. **Begnadi-  
gung der Maleficanten.**

§. XX.

*Explica-  
tio defi-  
nit. jur.  
aggrat.*

Dixi (I.) *Promeritas poenas.* In-  
tellige delictorum, quæ contra Juris Ci-  
vilis severiores leges, quæ delicto le-  
viori graviolem poenam imponunt, aut  
Statuta cujusvis Reipubl. commit-  
tuntur; Nam crimina, quæ Deum  
principaliter offendunt, v. g. Blasphe-  
mia, Veneficia, pacta cum Diabolo &c.  
Dispensationem planè non admittunt;  
*Schwed. introduct. ad Jus P. par. Spec.*  
*Secl. 2. 14. 6.* Lex enim Imperato-  
rum supra Legem Dei non est, sed sub-  
tùs. *c. 1. dist. 10.* & non licet Impera-  
tori, vel cuiquam pietatem custodien-  
ti aliquid contra divina Mandata præ-  
sumere, nec quicquam, quod Evange-  
licis, Propheticis, & Apostolicis regulis  
obviet,

obviet, agere *c. 1. ibid.* quod & idem  
 regulariter de iis, quæ contra Jus natu-  
 rale seu Gentium, utpote quæ sua natura  
 sunt immutabilia. *2. penult. J. de J. N. G.*  
 & *C. e. g.* Homicidio, parricidio &c. per-  
 petrantur, dicendum; præsertim cum in  
 his à Deo ipso certæ pœnæ constitutæ sint  
*Genes. 9. Exod. 23. 12. & 14. Deut. 19.*  
*v. 13. 19. 20. & 21.* quibus modum po-  
 nere humana potestas nulla valet. Pos-  
 sunt tamen quandoq; tales subesse causæ,  
 propter quas etiam id, quod Lege di-  
 vina capitale est, ita leve efficitur, ut  
 & in hoc Princeps non solum mitius  
 quid statuere, sed circumstantiis, pro-  
 pter quas pœnam mitigare vel remitte-  
 re licet, omnibus probè examinatis,  
 quandoque impunitatem planè conce-  
 dere, vel ordinariam pœnam in extra-  
 ordinariam convertere poterit; Si  
 scilicet objectum Legis mutatur; æqui-  
 tatis

tatis enim temperamentum non in humanis tantum, sed & in ipsissimis Decalogi legibus à supremo omnium legislatore latis, obtinere recte asserti statuit *Zieglerus de Jur. Majest. Lib. 1. cap. 8. n. 6.* ubi ergo circumstantiæ comitantes poenam ordinariam absunt, justum erit, vel nullam vel mitiorem aliquam sed delicto tamen proportionatam decernere.

§. XXI.

Dixi (2.) *tempestive relaxandi.* Dispensatio enim super criminibus semper fieri debet prævia causæ cognitione, attentis circumstantiis, Personarum, locorum & temporum, aliarumque qualitatatum &c. *Eques de Hein in prompt. Jur. Can. Feud. 2. Jus diverso sensu sumptum n. 6.*

§. XXII.

Dixi (3.) *veniamque illarum concedendi*

*cedendi.* Nam si Legislator legem etiam totam tollere potest, quia legis humanæ natura est, ut voluntate humana pendeat, non in origine tantum, sed & in duratione, utique ejus vinculum circa personam aut factum singulare, manente de cætero lege, tollere poterit. *Grot. 2. 20. 24.*

§. XXIII.

Dixi (4.) *iis, qui potestatem in Re- publ. habent &c.* Hinc, quoniam Juxta hac caret, ideò in infligenda Pœna citra infamiam mitior, aut durior lege esse non potest. *L. 8. §. 2. C. ad L. Jul. de vi publ.* Quod & de Civitatibus Municipalibus tenendum est: alia enim est conditio Magistratuum; quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores; alia Divorum Principum potestas, quos decet acrimo-

D niam

12



niam severi Juris inflectere. *Symmach. Lib. 3. Ep. 36.* Imperatori vero ac Statibus universis quoad totum Imperium: in Ducatibus autem seu singularibus Provinciis, ei, qui Jus Superioritatis habet, competit. *Eques de Hein in prompt. Jur. L. cit.*

§. XXIV.

*Exem-  
tiones à le-  
ge an re-  
vocari  
possint?*

Ad privilegia etiam pertinere dixi, *Exemptiones a lege*; Hæ ergo, quoniam vinculum duntaxat legis demunt, sine ullo contractu, revocabilia esse videntur. Quia sicut lex sublata universaliter, reponi universaliter potest; ita & particulariter sublata, particulariter reponi; nullum enim hic Jus quasitum est adversus legis auctorem. *Grot. 2. 14. 13.* Sed hic rursus

*Limita-  
tur.*

*Specialia*

Ubi tamen in specie circa ipsas Exem-  
tio-





tiones notandum, quod, sicuti <sup>de Exem:</sup> <sub>tion.</sub>  
 quæcunque privilegia, & Consti-  
 tutiones personales non debent ver-  
 gere in perniciem & præjudicium  
 Reipublicæ, ita non facile Principes  
 hujusmodi exemptiones concedant,  
 imo, quia sæpe importunitate ro-  
 gantium rescripta exemptionum eliciun-  
 tur, solent adjicere, ne ea valeant, sed  
 ut cassæ & irrita sint. Hinc est, quod  
 sub eadem clausula in *L. 6. C. de vectig.*  
 Imperatores Valentin. & Valens dicant:  
 Omnium rerum ac personarum, quæ <sup>Equali-</sup>  
 privatam degunt vitam in publicis fun- <sub>tas ser-</sub>  
 ctionibus æquam debere esse inspectio- <sub>anda.</sub>  
 nem. A qua tamen æqualitate in *duo* <sup>Limit.</sup>  
*bus* potissimum receditur, videlicet,  
 quando *ob bene merita arg. L. 26. §.*  
*1. ff. de milit. test. vel ob aliam justam*  
*causam. e. g. certum & definitum libe-*  
 rorum

rorum numerum conceditur *L. 3. 5. § 6. C. de his, qui num. liber. vel pauc. excus. meruer. Lib. 10. pr. Inst. de Excusat. tut. vel curat.* quo tamen casu in Privilegio per Speciale rescriptum impetrato expressa mentio legis, quæ talia rescripta agnosci vetuit, mentio facienda est.

§. XXV.

*Regula est circa exemptionem.* Quotiescunque igitur exemptio à lege Reipubl. totius interesse lædit, & afficit, toties nulla immunitas obtinet; & hinc est, quod communiter dicunt, Imperat. Rom. non posse per immunitatem concessam quemquam à Collectis Turcicis vi supremæ potestatis liberare & absolvere, quia nimirum talis immunitas præjudicaret Imperio; prout fusiùs deducit *Klock. de contrib. c. 16. n. 39. § seq.* nisi eximendus alia ratione Rei

Reipublicæ utilis jam fuit, quod sana ratio dicitur. Quotiescunque vero exemptio non est à Jure publico, sed à Jure Principis privato. e. g. si solam Principis Cameram ejusque patrimoniales redditus tangit, toties valebit immunitas; quia cum proprium patrimonium diminuit, suo damno facit, non Reipublicæ.

§. XXVI.

Tandem videamus, cui Privilegi-<sup>Quis possit revocare privilegia, an Princeps solus?</sup> orum revocatio competat. Revocatur autem Princeps, vel Superior Summus, qui privilegium concessit. Suppono autem Principem ex justa causa aut jure suo revocare. Quemadmodum enim privatis non licet donationem suam absque causa revocare & in alterum conferre, multò minus Principem id facere regulariter decebit, cujus proprium, concessa non offerre *Nov. 10. §. 1. præsertim*

D 3

tim

tim cum largitiones seu donationes & per consequens privilegia Principum ut & alii contractus vim & vicem Legis obtineant *L. 26. C. de donat inter vir. & uxor.* & privilegia ut plurimum promissionem de illorum conservatione à Principe in se receptam annexam habeant, quales pollicitationes & promissiones naturam pacti induunt, quo etiam Princeps obligatur per Legem naturæ. *Conf. L. 1. in pr. ff. de pact. & L. 1. in pr. ff. de constit. Princ.*

§. XXVII.

*An Successor?* Sed & Successor revocare potest ex justa causa; hinc duæ quæstiones oriuntur: (1.) *quâ ratione Successor privilegia revocare queat.* (2.) *Quomodo interpretatio, si super privilegio dubium oriatur, facienda sit.*

§. XXVIII.

*Qua ratione?*

Quod primam attinet, illud interest

tereft, ſintne privilegia in ſe revocabilia, <sup>ceſſor pri</sup>  
 an irrevocabilia; Illa Succesor pro libitu <sup>valegia</sup>  
 revocare poteſt, cum ejus Anteceſſor ea <sup>revocare</sup>  
 revocare potuerit. Si vero Anteceſſor pri- <sup>poſſit?</sup>  
 vilegia vel ex ſua natura vel promiſſione  
 ſua privilegia irrevocabilia conceſſit; tunc  
 rurfus ſubdiſtinguendum, aut privilegia  
 tangunt publicas, an Principis privatas  
 rationes? Si Juris publici ſunt, Succes-  
 ſor confirmare tenetur, cum Reſpubli-  
 ca, quæ nunquam moritur, ea conceſ-  
 ſerit. Hinc abſurda hinc eſt diſtinctio  
 inter Succesſorem univerſalem & ſin-  
 gularem, ita ut hereditario Jure ſucce-  
 dens ad ea confirmanda obligetur, Ele-  
 ctionis vero Jure ſuccedens tanquam  
 ſingularis Succesor non teneatur. Non  
 enim hic ſupponi poteſt, niſi univerſa-  
 lis Succesor, & falſum eſt, electionis  
 titulo ad imperium pervenientem eſſe  
 Succesſorem ſingularem.

§. XXIX.

§. XXIX.

Consecra-  
tium Im-  
perator  
privileg.  
Strat. con-  
firmare  
ganetur

Hinc Imperator sub ingressu sui Re-  
giminis Electoribus omnia privilegia, &  
quicquid ad ipsorum dignitatem, decus,  
libertatem, ac immunitatem pertinet,  
confirmare tenetur. Quod & de iis  
privilegiis, quæ in naturam contractus  
transferunt, sentiendum. Nam con-  
tractus de sui natura est transmissibilis  
ad Successores contrahentium; & qui  
succedit in honore, debet etiam succe-  
dere in onere *Cap. advers. X. de immu-  
nit. Eccl.* at Princeps Successor in di-  
gnitate commoda dignitatis acquisita  
per contractus lubens amplectitur, ergo  
& onus contrarium ejusdem debet am-  
plecti. Accedit *L. fin. C. de quadr. præ-  
script.* Ubi Zeno & Justin. firman-  
t Donaciones, alienationes, contractus, tam  
factos per se, quam prædecessores, tam  
de rebus fiscalibus, quam ex patrimo-  
nialibus

nialibus Principis, ejusdemque privile-  
giis securitatis statuunt gaudere posses-  
sores utrorumque. Caterum licet Suc-  
cessores in Regno Electio non di-  
rectè & proximè ex facto defuncti ac-  
cipiunt successorem à Populo tamen  
accipiunt, & hujus nomine obligantur.  
Ergo saltem indirectè & mediatè per in-  
terpositam Civitatem Obligatio An-  
tecessoris sese exferit. *Grot. L. 2. c. 14.*  
n. II.

§. XXX.

Circa *secundam* vero Quæstionem, <sup>Cujusna-</sup>  
de Interpretatione Privilegiorum in pri- <sup>tura su-</sup>  
mis nota, quod, quotiescunque quæstio <sup>interpre-</sup>  
super privilegio mota vel ex verbis deci- <sup>ratiopræ-</sup>  
di, vel inde certâ ratione consequentia <sup>vilégiis</sup>  
erui, vel ex legibus resolvi potest, toties  
ad æstimationem seu interpretationem  
Principis non opus est, ut recurratur, sed

E

cogni-

cognitio esse potest Judicis ordinarii Jurisdictionem habentis; *L. 12. § 13. ff. de LL. L. 13. ff. de testib.* Quotiescunque vero disputatur e. g. de Substantia, mente & sensu Privilegii, sc. de ejus extensione aut restrictione; toties cognitio & Interpretatio ei soli, qui privilegium concessit, competit. *L. 1. 9. § 12. 2. 1. C. de LL. L. 19. de R. J. L. 43. in pr. ff. de vulg. § pup. substit. cap. cum venissent. X. de Jud.* Neq; dubia interpretatio hæc ex legibus invito Principe petenda venit; eo minus, cum illæ ipsæ hanc potestatem Iplius non circumscripserint, sed, quem modum esse beneficii sui vellet, ab ejus æstimatione dependere pronunciaverint *L. 191. ff. de R. J. § L. 43. in pr. ff. de vulg. § pub. substit.*  
 §. XXXI.

*Examen  
 L. 3 ff. de  
 Const.  
 Princ.*

Hinc tamen non sequitur, regulam *L. 2. ff. de Const. Princ.* de plenissima

*Doctr.*



interpretatione datam nullius esse momenti, prouti *Ludovici* existimat in *Doctr. Pandect. p. 8. ad d. t.* quia tunc saltem, si deficiente Principis æstimatione v. g. mortuo eo, super privilegio dubium oriatur ad *d. l.* recurrendum; ita, ut si privilegium præter legem sit favorable & præsertim reale, laxissimam sæpè interpretationem contra cedentem ipsum faciendam recipiat; *Bernbard. Græveus libr. concl. pract. 2. considerat. 1. n. 3.*

*Quando interpret. extensiva locum habeat?*

§. XXXII.

Strictissima vero interpretatio tum *Quando strictissima interpret. locum habeat?* facienda erit, si privilegium sit. (1.) contra legem, i. e. derogativum Juri communi (2.) si communem salutem vel (3.) Jura superioritatis afficiat, aut (4.) odiosum. *Odia enim restringi & favores ampliari convenit. cap. 15. de R. J. in 6.* aut (5.) in præju- rum

15



dicium tertii vergat; Imò (6.) privilegium personale est sapè strictissimi Juris *L. 21. de test. Milit.* Ceterum personalia cum personis expirare, satis manifestum est; si tamen mortuo Principe de personalitate aut realitate dubitetur; illud refert, an privilegium ex gratia concessum sit, an ex contractu; *priori casu* personale censetur, per consequens ad heredes non devolvitur per *L. 1. §. 1. §. 2. L. 5. §. 4. de Jur. immunit. L. 4. §. 3. de cens. L. 8. §. 2. ff. de vacat. §. excus. muner. L. 196. §. L. 68. de R. J. Posteriori* vero etiam ad heredes transit, quoniam quilibet bonus contrahens tum propter naturam contractus, tum propter naturalem affectionis rationem successori suo prodesse voluisse præsumitur. *L. 9. ff. de prob. l. 13. C. de contrab. §. committ. stipulat. & hæc posterior interpretatio etiam*

iam vivente eo obtinet, si quidem in contractibus Princeps habetur pro privato, & se submittit Juris Communis dispositioni, sequendo formam à Jure Civili, vel Gentium præscriptam, quam si subire noluisse, Verba potuisset & debuisset apertius concipere. Per *L. 39. ff. de pactis L. 172. in pr. §. 1. ff. de R. J.*

§. XXXIII.

Pergimus ad causas revocationis; quæ <sup>Causarum</sup> <sup>vocatio-</sup> <sup>nis</sup> <sup>utilitas</sup> <sup>publica.</sup> variæ sunt. *Prima* est utilitas & necessitas publica, quæ Jus revocandi privilegia potissimum tribuit; Hinc quotiescunque privilegium concessum Reipublicæ nocere incipiat; toties revocationi locus est; utilitas enim publica privatæ semper præfertur. *cap. 3. X. de post. Prælat. cap. 10. X. de renunciat.* quod eousquæ procedit, ut privilegium indultum, etiam si casum publicæ necessitati contrarium

E 3 include-

includeret, nihil valeret; per L. 10. C. de SS. Eccles. cum omnes in commune, si necessitas exegerit, conveniat utilitatibus publicis obedire. L. 1. C. de nav. non excus. lib. 11.

§. XXXIV.

11. Delictum. (2.) Crimen commissum; sc. si privilegiatus contra personam concedentis delinquit; aut contra leges; contra personam concedentis delinquit v.g. ingratus se exhibendo. arg. c. fin. 25. quest. 2. Neque enim quod præmii loco merentibus tributum ad male meritos & improbos pertinet. arg. L. 26. §. 1. ff. de test. milit. & in jure nihil æque perit, quam quod in ingratos collatum est, quo fit, ut filius ingratus ob ingratitude exheredari, donatioq; inter vivos revocari possit; non tamen quævis simplex ingratitude effectum privilegii enervat, aut causam revocandi sup-

suppeditat, sed illa tantum, quæ delictum  
publicum comitem habet; veluti si pri-<sup>sed</sup>  
vilegiatus perduellionis vel Majestatis <sup>anon.</sup>  
vel falsi vel annonæ! causâ reus fiat;

*Tapia in L. fin. de constit. Princ.*

Nam & donatio non revocatur ex  
quavis levi, sed magna tantum ingra-  
titudine, veluti si Donatarius donantem  
capitis reum arguat, vel Status quæstio-  
nem moveat. *L. fin. de Revocan. donat.*

Contra leges vero delinquens privilegio  
privari poterit, veluti si hæresin amplec-  
tatur, ab Ecclesia damnatam. *L. I. C. de*

*Heret. Nov. 119. cap. I.*

§. XXXV.

(3.) Abusus. Quemadmodum enim <sup>III.</sup>  
abusus in omni re damnatur; <sup>abusu.</sup> *2. Inst.*  
*de bis, qui sui vel alien. Jur.* ita in specie  
in privilegii exercitio; nam qui permiffa  
sibi abutitur potestate, privilegium om-  
nino meretur amittere. *c. 63. caus. 11.*

*quæst.*

D  
E

*quest. 3. cap. 11. X. de privileg. cap. 43. X. de rescript.* Non vero privilegio abutitur is, qui culpa aliqua aut etiam ignorantia id facit, sed is, qui decipiendi Principis gratia, vel in singulare præjudicium & damnum tertii dolose & data opera abutitur privilegio. L. 6. §. 8. ff. *si quis omis. caus. test.* ut & is, qui ultra modum concessum, vel etiam ad alios casus in privilegio non expressos extendit privilegium. L. 11. & L. 18. C. de *Jud. & Cælic.* Neque hæc ut quis privilegium amittat, sufficiunt, sed sententia, seu ut quis se abusum esse suo privilegio cognoscatur, præcedat necesse est, *feud. 2. 27. §. 7.*

§. XXXVI

(4.) Non usus. Hic vero duplex est; *Negativus* & *Omissivus*. *Negativus* vocatur cum quis ideò privilegio suo non utitur, quia vi aliqua & necessi-

17.  
non usus  
non ne-  
gativus.

cessitate superveniente impeditus fuit, aut nulla occasio utendi se obtulit; hic ad revocationem privilegii nunquam sufficit, tum, quod sana ratio suadeat, tum quod leges ipsæ id præcipiant. *arg. L. 1. §. 2. C. de annal. Except. arg. L. 34. §. 1. & L. 35. ff. de S. P. R. privilegia-* tum enim, penes quem culpa nulla est, nec negligentia, neque pœna amissionis privilegiorum sequitur; etiamsi taliter impeditus, ultra hominum memoriam vel ad mille annos privilegio non utatur: *Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere valebant. d. L. 1. §. 2. in fin. C. de annal. except.*

§. XXXVII.

Non usus vero privilegii omiffivus <sup>*Sed omis-*</sup> vocatur, cum quis privilegio sponte non <sup>*sivus.*</sup> utitur, utpote occasione jus suum singulare exercendi habita neglecta; hinc

F quo-

D  
E



quoniam non-usus omissivus ponit voluntatem internam carendi privilegio *arg. L. 10. §. 1. L. 18. §. 19. ff. quib. mod. servit. amitt.* privilegiatus præsumitur nolle privilegio in futurum uti, & ei tacitè renunciare. *L. 7. C. de his, qui accus. poss. Lib. 9.* ut autem præsumtio hæc oriatur, requiritur tempus decem annorum. *arg. est. L. 1. ff. de nund.* ubi privilegium nundinarum à Principe impetratum, non utendo per tempus decennii amittitur. Diversum tamen obtinet quoad privilegia Ecclesiis concessa; hæc enim non nisi spatio 30. vel 40. annorum præscribuntur. *cap. si de terra 6. §. cap. 15. X. de privileg.*

§. XXXVIII.

*v.  
claus.  
revoc. re-  
sarc.*

Quinta Causa est clausula, quâ Princeps expresse revocandi & abrogandi  
po-



potestatem sibi reservavit; tunc enim poenitentia ejus superveniente perimitur privilegium.

§. XXXIX.

*Sexta* causa est cessatio qualitatis <sup>vr.</sup> *Cessatio* vel causæ, propter quam privilegia sunt <sup>causa</sup> <sup>aut qua-</sup> <sup>lit. pri-</sup> <sup>vil.</sup> indulta; *cap. cum cessante* 60. *X. de appellat. arg. L. 4. §. ff. de numer & bonor.* Sic privilegia militaria tamdiu durant, quamdiu Miles est in numeris §. 2. *Inst. de test. milit.*

§. XL.

*Septima* causa est Tempus. Si scilicet <sup>vr.</sup> *Tempus* privilegium ad tempus restrictum fuerit; quia tempus eidem adjectum formam ipsi tribuit, qua destructa ipsum beneficium destrui necesse est, *L. 9. §. 3. ff. ad exhib.*

F 2

§. XLI.

## §. XLI.

*VII.*  
*Renun-*  
*ciatio.* *Octava* Causa est Renunciatio, quæ  
 est voluntaria Juris sui seu privilegii  
 abdicatio, sc. expressa (nam de tacita, sc.  
 non usu, egimus.) Peragitur autem vel  
 verbis, vel literis. Et quod de  
 reliquorum Jurium renunciationibus  
 in Jure statuitur, idem & de pri-  
 vilegiis regulariter dici potest. Dico  
*regulariter*; quia dantur casus, qui re-  
 gulam hanc infirmant; Unum saltem  
 pro illustratione adduxisse sufficiat, ni-  
 mirum, quando privilegium causam  
 non solum renunciantis, sed etiam mix-  
 tam alterius, vel etiam causam publicam  
 adeoque non solum renunciantem, ad  
 & alios afficit. *v. g.* prohibita Clericis  
 fori prorogatio. Clericis enim non est  
 permissum Jurisdictionem tacite, vel  
 expressè prorogare absque consensu Su-  
 perio-

perioris, aut privilegio suo quod hic late & pro jure singulari sumitur renuntiare, quoniam non est personale, sed toti Ordini Ecclesiastico publice indultum; *cap. 12. de foro compet.* Juri autem publico pactis privatorum non derogatur *L. 38. ff. de pactis.* Essent adhuc plures revocationis causæ, sed de his disservisse sufficiat.

§. XLII.

Qua deniq; forma privilegium revocandum sit, legibus definiri nequit, quoniam id a mero Principis arbitrio dependet; si tamen ejusmodi negotium Judici committatur, tunc illud per se constat, Decreto revocationis citationem ejus, cujus interest, & causæ cognitionem præmitti debere. Quod si his omiffis, absente privilegiato sub vel obreptitiè aut falso instrumento, vel alio quovis iniquo modo ejusmodi revoca-

*Forma  
revoca-  
tionis.*

D  
S  
E



tionis decretum impetratum fuerit, non solum privilegiatus se opponere, sed & in integrum restitutionem petere potest. Quod adeo verum est, ut privilegiatus, quamvis hoc omisset, nihilominus ex integro in causa audiendus *L. 2. § 4. C. si ex falsis instrum.* & in integrum restituendus foret. *L. 33. ff. de re Jud.* In hunc finem itaq; aut Princeps ipse ad eundem, coram quo malitia adversarii decenter remonstrari poterit, aut contra privilegii temerorem nobile officium Judicis implorandum est; quanti enim intersit restitutionem fieri, æstimatur officio Judicis. *L. 15. §. 7. ff. quod vi aut clam.* Licet non negem ejusmodi privilegii temeratores etiam actione injuriarum conveniri posse; quippe quæ toties competit, quoties quis re sua, vel ju-  
re

re suo uti prohibetur. L. 13. §. 7. ff.  
de injur. L. 25. ff. de act. empt.

§. XLIII.

Revocatio tamen legitimè, & <sup>Effectus</sup> <sup>revo-</sup> <sup>ca-</sup> <sup>tionis.</sup>  
ex supra recensitis causis semel facta  
efficit, (1.) ut privilegiatus Juri com-  
muni, à quo fuit exemptus, rursus  
subjiciatur, vel Jure suo singulari in  
perpetuum frustretur; excipe, nisi  
privilegium ob solam necessitatem  
publicam revocetur; tunc enim  
necessitate cessante privilegium re-  
viviscit, & plenum iterum vigo-  
rem recuperat; quia quod necessi-  
tate temporis statutum est, cessante  
necessitate cessare debet; c. quod pro  
necessitate 1. quest. 4.

§. XLIV.

(2.) Ut si privilegiatus non at-  
tento revocationis decreto nihilomi-  
nus

nus privilegii usum & possessionem  
continuare praesumat, in poenam arbi-  
trariam, aut dicto decreto insertam con-  
demnandus; si vero reverentiae debi-  
tae limites ita excedat, ut reipsa & fa-  
cto quodam sacrilego se adversus Prin-  
cipis sententiam defendere non eru-  
bescat, tanquam criminis laesae  
Majestatis reus punien-  
dus est.

*Soli DEO Honor &  
Gloria.*



Strassburg, Diss., 1723-39

ULB Halle 3  
002 491 648




Sl.









Farbkarte #13

B.I.G.

*Pa. H. 30.*

C. D. Pub. 10. num. 18.

CONAVGVRALIS  
MEDICA, 1724.  
PROVOCATIONE  
REGIORUM,

QUAM  
Illustris & Magnifici  
Ordinis

PRO PRAESIDE  
VICENTIA

quoque Jure honores &  
Storalia rité capessendi  
6. Mart. 1724.

I Censuræ submittet

ANTON. LENTZ,  
Schenf. Sjev. Auth.

INTORATI,  
STAEDELL, Univerf. Typogr.

